



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XVIII. De Oligarchia, quæ est ex corrupta Aristocratia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

cuncta quæpiam nominasset, multo maior extemplo clamor oriebatur: cum alij negarent nosse, alij nunc probra, nunc humilitatem, sordidamque inopiam, pudende artis aut quasi genus obijcerent. Hoc multo magis in secundo ac tertio senatore est factum, ut ipsius ponere homines apparet: quem autem in eius substituerent locum, deesse, quia nec eisdem nominari attinebat, nihil aliud quam ad audienda probra nominatos: & multo humiliores obscurioresque ceteri erant eis, qui primi memorie occurrerant. Ita dilabii homines, notissimum quodque malum maxime tolerabile dicentes esse, iubentesque senatum ex custodia dimitti.

Sapienter sane Pacutius homo aliquot improbus, plurimi enim magistratum in ordinem redegerunt, paucissimi rempublicam emendarunt, hic civibus senatum approbavit, eumque modestiorem fecit.

Patronorum
& clientum
necessitudo.

§. 12. Septimum est, Patronorum clientiumque iura mutua, & tanta necessitudo, ut sexcentorum annorum spacio dissensiones inter patricios, & plebem ad sanguinem vix deuenierint: sed postquam illa quoque vincula sublata sunt, & fraus innexa clienti, cadibus Republica mutuis interit, & ad unum tyrannum delata est. Necdum ea apud Venetos consuetudo exoleuit, manet etiamnum in Germania Protectorum nominis, & ius antiquum, quod fuit apud veteres, quo multa provincie in potentium familiarum clientela esse dicebantur.

In Germania:
Schutz,
herren.

Ordinata
diversitas
Aristocratiæ
inuenitur.

§. 13. Consulitum est, varios ordines constitutere, & discrimina civium, ea tamen moderatione, ne cuiquam iniuria inferatur. Ita erat

Martia Roma triplex equitatu, plebe, senatu.

Facit illa multitudo, & diversitas ne facile conspiraretur, idque in omni Reipublicæ forma, præcipue tamen in Aristocratiâ. Nam mediocris seu equitatus vehementer optat senatus auctoritatem, saram rectam conservari, si enim senatum plebs è medio tollat, aut nullius in ministerium eat, omnis etiam equestris ordinis dignitas pessum dabitur, nec plebs tam insurgeret in senatum facile, à quo longo intervallo distat, quem equitum turmis vallatum cernit. Sed neque equestrem ordinem timere optimates debent, si enim ille quippiam molitur, non difficile fuerit cum aduocata in auxilium plebe coercere. Fateor tamen ordinem illam diversitatem multarum litium, seditionumque esse seminarium, verum hoc ex gubernantium erroribus nascitur, dum ius inæqualiter dicitur, dum alter suppressitur, alter cum detrimento aliorum extollitur. Atque hæc fere in Aristocratiâ feruantur, in qua hoc præcipue seruandum est, ut sic pauci imperent, ne plures statum civitatis oderint, & detestentur. Brevis enim est potestas, quæ multos inuitos violentè continet, omnis itaque aristocratiâ brevis est, ubi tamen illa est, alios duos ordines esse, quam vnicum præstat.

C A P V T XVIII.

De Oligarchia, quæ est ex corrupta Aristocratiâ.

Oligarchia §. 1. OLIGARCHIAM interdum pro Aristocratiâ usurpat, sed proprie & pressè ab Aristotele definitur: Ἀρχὴ αὐτῶν τῶν συμπολιτῶν ἢ ὀλιγῶν. Imperium ad diuitum vilitatem institutum. l. 3. c. 7. & 8. ὅταν ὀλίγοι διὰ τῆς πολιτείας οἱ τὰς θύρας ἔχοντες. Cum in Republica dominantur, qui rem possident. Rectius forte, ὀλιγαρχία, seu ὀλιγαρχία nominaretur, cum diuitum vilitatibus consulari, non totius Reipublicæ. Fieri certe potest ut in Republica aliqua plures diuites sint, quam mediocres, aut pauperes, ut Colophone fuisse ante

bellum Lydorum testis est Aristoteles; Si igitur plures alibi sint diuites, quam pauperes, nihilominus dicitur oligarchia paucorum dominatus, quia est paucorum non sit, cum tamen institutus est, primum fuit paucorum, & nunc quoque in omni Republica diuitum numerus exiguus, mediocrium, & tenuium maximus.

§. 2. Cum ex corporum proceritate aut forma, ut olim apud Æthiopes, magistratus creantur, non est oligarchia, quia tam mediocrium, & tenuium, quam diuitum dona illa esse possunt. Nomen tamen illi conuenit, necesse est enim paucorum esse potestatem; nam dignitate corporum paucissimi excellunt. Hi vero si commune bonum spectent Aristocratiâ, si vnius partis tantum, oligarchia dicitur. Quanquam ergo si soli diuites imperent, sit dicenda ἀρχὴ τῶν ἐνδοξῶν, Imperium diuitum, potest tamen etiam esse ἀριστοκρατία, si non imperent ad vilitatem diuitum, sed vniuersorum. Prudentissime hoc Plato animaduertit. ὅταν ἀρχὴ ἐστὶν ἀριστοὶ τὴν ψυχὴν μόνον τῶν τότε δεσποκεστῶν καλούμεν τὴν τοιαύτην πολιτείαν, ὅταν δὲ τῶν νόμων μὴ σεβνδία, ὀλιγαρχία. Quando igitur diuites illam imitantur, tunc ἀριστοκρατία vocamus illam Rempublicam, quando autem negliguntur leges, oligarchiam. Leges autem negliguntur, cum ad sua commoda cupiditateque diuites omnia referunt.

Non est igitur iniustus paucorum dominatus, & diuitum, si scopum teneat, qui est omnium salus; nam æquum est eum, qui pro Republica decem aureorum millia expendit, præferri alteri, qui decem duntaxat in commune confert. Nec tamen ille qui patriæ tantum præstat, commodis tenuioris cuius obitare debet.

§. 3. Quatuor genera oligarchiæ Aristoteles (libro 4. cap. 5. politicorum) agnoscit. Primum est cum ex censu legitur magistratus, ut pauperes excludantur. Romæ senatus censu legebatur, si haberet sestertium octingenta millia, perire quidem sic vitæ præcia, sed tamen augustissimi ordinis splendorem etiam domesticis facultatibus augendum putabant. Itaque etiam censu imminuto, & senator & eques dignitatem amittebat.

Secundum genus est, cum ex censu eliguntur nonnulli, sed illi alios sibi allegant, siue ex censu, siue ex optimis, siue ex omnibus.

Tertium cum patris filius succedit, ut fere fit apud Venetos, ubi nobiles omnes qui 25. annorum sunt habent ius veniendi in Senatum. Veruntamen in his non est vitiosa oligarchia, si bonum publicum spectetur, sed vel Aristocratiâ, vel Politia, quemadmodum enim in regno vnus succedere vni potest, nec tamen tyrannidis notam subibit, ita in Aristocratiâ plures pluribus, seruata optimæ gubernationis integritate.

Quartum itaque est genus oligarchiæ vitiosæ, cum lege non agitur, sed regentium placitis, & ad potentium commoda omnia administrantur, quod regiminis genus perniciosissimum est; quia pro vno tyranno plures, eoque crudeles, & egentes habet tyrannicos. Hæc gubernatio ut improba est, ita diuturna esse nequaquam potest, cum maxima pars Reipublicæ minam oderit, & perisse expetat. Neque fugienda est tantummodo iniuria, sed etiam iniuriæ suspicio. Alioqui contra eos dux esse quilibet potest, quantumvis inuoluitus, neque in eorum euersione quicquam difficilius est, quam prima vox. Initio superioris sæculi multæ ciuitates imperii in magistratum suum insurrexerunt, cædes & direptiones factæ sunt. Perinde autem est, verene an falso de Senatu suspicentur.

Recens est tumultus Francofurtensis recordatio, cuius

Oligarchia
cum ex
su legitur
Senator.

Oligarchia
brevis est.

cuius principes fuere homines abiectissimi, sed populi favore prævalidi; quia exosum erat imperium optimatum. Et plus nocere poterant, si modestius seditionem inceperant. Olim Massilia, Heraclea, diuites contra paucos sunt tumultuati, & Reipublica formam commutarunt. Aristoteles libro 5. cap. 6. politicorum.

Pessima oligarchia leges.

§. 4. Facillimo itaque negotio plurium tyrannis euertitur, sed nunquam facilius, quam cum inter eos discordia oriuntur, aut cum ex illis quispiam secreta reuelat, aut popularis efficitur. Quod faciunt vel iniuria affecti, potentiam affectantes, vel cum res suas frigerint, ac delapidarint, publico malo priuata dedecora contegere satagunt; quo vero fauiores, ac importuniores sunt, eo breuior est eorum gubernatio. Et sædis exemplis perire, quorum est iniquissima coniuratio, qualem meminit fuisse quorundam Aristoteles libr. 5. politic. cap. 9. Nunc enim in nonnullis oligarchiis ita iurant. Et in populum male animatus ero: & populo quicquid potuero mali incogitabo. At opus eos, & existimare, & præ se ferre, ac simulare contrarium, significantes in iururandi præscripti verbis, se nullam populo iniuriam illaturos. Iurant igitur se inimicos fore populo, & amicos fore peccant.

CAPVT XIX.

De Politia presse sumpta, seu populari forma Reipublicæ.

§. 1. Πολιτίαν vocat interdum Aristoteles, & alii Δημοκρατίαν. Sed quia nunc partes distinguimus, proprie ac presse de vtraque agendum. Sic & Aristoteles lib. 3. cap. 7. politicor. όταν δὲ τὸ πλεῖστον αὐτῶν τὸ κοινὸν πολιτεύεται συμφέρον, καλεῖται κοινὸν ὄνομα πασῶν πολιτειῶν, πολιτεία. Quando vero multitudo in publicum bonum ciuitatem administrat, vocatur ea forma Reipublica communi nomine omnium Politiarum, Politia. Definiri igitur Politia debet, ἀρχὴ τῆς πόλεως αὐτῆς τὸ κοινὸν συμφέρον. Imperium multitudinis communem vtilitatem spectans.

Politia fundamentum libertas, & æqualitas.

§. 2. Huius administrationis fundamentum est, & scopus libertas, deinde æqualitas. Et libertatem quidem facile obtinet populus, æqualitatem difficile. Quamuis enim in eo pares sint, quod omnes vicissim imperent, & pareant, imperandi tamen vices ad paucissimos perueniunt. Libertas autem in eo veritur, non ut viuas pro arbitrio, sedque omnino tua in potestate, sed ut viuas iuxta leges, subditus tuo magistratui, atque ea conditione, ut tibi quoque sit imperandi potestas: Sic enim est omnibus par ciuitatis ius, atque honor.

Perfectissima Politia est periculosissima.

§. 3. Varii sunt Politia gradus ac formæ, illa est perfectissima cum sine generis, opumue discrimine omnes dignitates, ac magistratus omnibus demandari possunt. Hæc inquam in suo genere perfectissima est, nempe accuratissima libertatis, & æqualitatis conseruatric. Infirma tamen, & tumultuosa, & hominum terribiliorum promotrix.

§. 4. Aliæ temperiores sunt; cum enim in Reipublica sint varia hominum genera, ut artifices rerum necessarium & vtilium, artifices rerum voluptuariarum, & fastui seruientium, agricola, pecuarii, negotiatores, milites, Diuites & nobiles & censibus suis viuentes, literati, sacerdotes, cum sit etiam magistratuum, & ciuiliū functionum magna diuersitas; nam magistratus alii sunt primarii, alii secundarii, nonnullæ functiones honoratæ, sed sumptuosæ, aliæ difficiles sed lucrosæ, hinc magna

oritur Politiarum constituendarum varietas. Non enim omnibus omnes functiones demandant, sed cum discrimine diuersis; honoratas, & sumptuosas nobilibus ac opulentis; negociosas industriis; iuridiciales æquis, peritis ac prudentibus; quæ ex distributione magnæ varietates gubernandi exurgunt; nam magistratus esse penes alios, iudicia ita penes diuersos esse nihil impedit. Quibusdam populis satis est magistratus legendi ex optimatibus habere potestatem, nonnulli contenti sunt, si ratio honorum gestorum sibi reddatur.

§. 5. In populari forma conseruanda, ne tyrannidem vnus, aut oligarchiam pauci instituant, plurimum laboratur, ideoque fere in vitium quod Democratia dicitur administratio recidere solet.

Primum est, ut ad clauum Reipublicæ fere medii assumantur. Illi enim nec ea sunt potentia, ut tyrannidem vnus possit arripere, & nimis multi pro oligarchia constituenda, nec propter paupertatem, & domesticas difficultates turbulenti sunt. Monuit hoc Aristoteles libr. 4. politicor. cap. 12. Oportet populo latorem legis semper in rep. administratione medios assumere. Nam siue leges oligarchia conueniente ferat, ad medios leges dirigere debet: siue democratia congruentes, hi legibus adiungendi sunt. Vbi vero mediorum multitudo superat aut utroque extremos, aut alterutrum tantum; hic fieri potest, ut reipubl. administranda forma sit firma & stabilis. Non est enim metuendum, ne vnquam diuites cum pauperibus in hos consentiant & conspirent: nam nunquam alteri alteris seruire volunt.

Leges Politica.

Habet enim aliquid moderatio illa mediorum, & boni ciues consentunt, qui medii sunt. Ideo & Phocylides iudicio Philolophi sapienter dixit:

Πολὺ μέσσιον εἶναι, μέσθ' ὅτι οὐδὲν ἄλλο εἶναι.

Multa mediis optima sunt, mediis in vrbe nolo degere.

§. 6. Secundum est, ut in ipsa Politia & potestate populi hoc agatur, ne pessimo cuique atque audacissimo parata sit ad honores via, sed habeatur magna ratio optimæ partis in populo; nam quemadmodum in Aristocratia, nisi optimus quisque magistratum sortiat, breui commutatur forma gubernationis, ita etiam populo pars optima, atque integerrima querenda est. Βέλτερος δὲ ὁ δῆμος, ὁ γεωργικὸς +στ. Optimus autem populus, inquit Philolophus, est qui agriculturam exercet. Itarem habuisse olim nemo dubitat, hinc tribus rusticæ honoratæ in vrbe fuerunt; vrbana vero, contemptu, & nota non carere; in eas enim tribus sex populi, & subrostrani coniecti fuere. Causa cur fuerit corruptior vrbana plebs ab Aristotele adfertur, quod aliena ocio, & concionibus, callida, ac fraudulenta, rerum nouarum auida, atque ambitiosa euadat; rusticana vero agricolatione, aut pastu pecorum occupata, raro conciones adit, raro sediuolos cætus accedit. Fuit olim alia etiam causa, quod ociosa plebecula concionibus, theatris, spectaculis allucta, voluptatibus euicta, vix ad honesti, & æqui considerationem cogitationes attolleret, nunc vero in vrbibus bene moratis, alia ratio est; Cives enim tribunicis concionibus, detestandis spectaculis, & publicis morum corruptelis minus inficiuntur, deinde in scholis, in templis, ad virtutem, pietatemque erudiuntur, rusticana plebs minus culta est, & crebro minus religiosa; itaque mutatis temporibus, vrbana plebs melior habenda, ita ut censeam, docent florentissimæ Europæ ciuitates, quarum in tribus, quæ negotiatoribus & artificibus fere constant, iustitia, publicæ honestatis, pietatis summa ratio tenetur, ex his præsertim liberis in ciuitatibus viri graues, prudentes, moderati ad rempublicam regendam quorannis leguntur, nam veterum corruptionum causas procul habent, quot enim

Optimi ex populo legendi in magistratum.

Plebs rustica olim melior, quam vrbana.

Nostro tempore plebs vrbana melior est.